



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

De peccatis venialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

SECTIO I.

De obiecto materiali fugæ: Ubi de peccato actuali, habituali, originali, dimisso, imperfectionibus, & actu materialiter malo, an sint obiectum pœnitentia.

Hoc ergo supposito de obiecto materiali prosecutionis, restat nunc videre de altero obiecto materiali fugæ, & detestationis. De quo in primis certum est, comprehendere peccatum mortale proprium, ut potè quod omnino turbat pacem hominis cum Deo: quæ ratio communis est omnibus peccatis, & ideo omnia possunt per pœnitentiam odio haberi. Dices: Aliquando potest homo peccare non attendendo ad rationem offensæ diuinæ, quæ ibi inuenitur, & per consequens illud peccatum non haberet tunc malitiam offensæ diuinæ formaliter; ergo pœnitentia non posset ex odio offensæ diuinæ detestari illud peccatum?

Respondeo negando consequentiam, nam si illud re vera est peccatum, Deus utique offenderetur, licet ego ignorarem illum offendi: quod in peccato veniali verissimum iudico posse de facto contingere: & ratio est, quia ad hoc ut Deus offendatur ex meo facto, sufficit inuenire in me aliquam malitiam, ratione cuius rationabiliter indignatur contra me: ad hoc autem non est necesse, quod ego sciam, Deum offendi illo peccato: ergo si detur in me aliqua malitia sine attentione ad Dei offensam; id sufficit, ut Deus etiam indignetur contra me, & per consequens, ut offendatur ex mea malitia: sicut pater etiam in humanis iustè indignatur ex filij crimine, licet filius non attenderet ad offensionem Patris, quæ inde posset subsequi, & ideo potest filius postea dolere de illo crimine, quia patrem offendit. Similiter ergo potest pœnitentia dolere de omni peccato, quatenus offensio fuit Dei, licet patratum fuerit sine attentione ad diuinam indignationem inde orituram. An verò possit committi peccatum mortale cum ignorantia, vel inaduerentia invincibili de offensa Dei? dixi latè disp. 7. de Incarnat. sect. 5. & 6.

De peccatis venialibus.

Dubium est de venialibus: quæ simpliciter, & absolute non videntur esse offensa Dei, sed solum secundum quid; nec videtur turbare pacem Dei cum homine, nec tollunt eius amicitiam, ergo virtus, quæ formaliter intendit conservare, & reputare pacem cum Deo, non potest habere hæc peccata pro obiecto detestationis. Aliquibus Recentioribus videtur probabile pœnitentiam specialem virtutem non habere pro obiecto venialia, quia pœnitentia in eorum sententia tendit formaliter in bonum compensationis, non cuiuscumque, sed inæqualis; per hoc enim differt à iustitia propriè dicta; ergo non potest velle compensationem pro venialibus, hæc enim potest esse omnino æqualis. Hoc tamen, licet consequenter dicatur ad sua principia, sed discedit à sensu omnium Theologorum, & Patrum, qui de pœnitentia semper, tanquam de una virtute loquuntur, quæ se ad omnia peccata potest extendere: alioquin quando aliquis certus est de peccato, debius tamen de gravitate, aut levitate illius, non potest per virtutem pœnitentiæ illud detestari. Dicendum ergo est omnino, eandem virtutem se ad utraque peccata extendere, & habere motuum aliquod

B 4 utriusque

fumus appellare fugæ; id est peccata, quæ detestatur tanquam ea, quæ turbant pacem cum Deo, & ideo appellantur materia pœnitentiæ; id est, materia circa quam ipsa versatur. De utroque obiecto materiali dicemus breviter in hac disputatione.

Et quod attinet ad primum, Regula generalis est, ea omnia cadere posse sub obiecto materiali pœnitentiæ, quæ videntur necessaria, vel utilia ad diuinam pacem vel conservandam, vel reparandam. Hinc est, posse Pœnitentiam ad hunc finem imperare actus aliarum virtutum: v.g. actum charitatis, qui sit contritio perfecta: actum doloris ex desiderio salutis, qui sit attritio, & alios omnes, qui ad hoc intentum possint deservire. Imò, & proprios ipsius pœnitentiæ actus potest non solum elicere, sed imperare: cum enim actus ipsius pœnitentiæ, quo ex proprio motu detestatur peccata ut offensiva Dei, utilis etiam sit ad obtinendam veniam: poterit bene eadem pœnitentia ex desiderio pacis illum actum reflexum, sicut de Logica dici solet, quod non solum dirigat actus aliarum scientiarum, sed etiam proprios per alios actus reflexos ipsius Logica.

Maius debium esse potest, an possit pœnitentia ad suum finem eligere etiam actus alienos, v.g. ieiunia, & preces aliorum hominum, an solum actus proprios? Negant aliqui Recentiores, quia pœnitentia est quasi resipiscencia, quæ non tendit ad tollendam offensam utcumque, sed per retractionem, & satisfactionem propriam: alioquin non esset pœnitentia. Consequenter tamen ad ea, quæ de obiecto formali dicta sunt, dicendum est, posse etiam pœnitentiam eligere actus alienos ad suum finem. Cum enim intendat habere Deum placatum, & pacatum, & ad hoc possint deservire preces, & satisfactiones alienæ saltem de congruo, non est cur non possit illas eligere sicut iustitia, quia intendit æqualitatem cum proximo, ad quam deferuit etiam solutio ab alio facta, potest eam velle non minus, quam propriam.

Dices: pœnitentia non intendit habere Deum placatum utcumque, sed per satisfactionem propriam, quantum fieri possit: sicut iustitia non intendit tollere inæqualitatem utcumque, sed per æqualem compensationem, non enim videtur pertinere ad iustitiam obtinere à creditore condonationem debiti, licet non minus tollatur iniuria eâ condonatione, quam solutione; ergo eodem modo de pœnitentia dicendum est, intendere æqualitatem cum Deo non utcumque, sed per satisfactionem propriam, quantum fieri possit.

Respondeo; Imò ex ipso iustitiæ exemplo arguitur pro nobis, quia cum iustitia intendat non retinere alienum invito Domino, & ad hunc finem deserviat non minus condonatio creditoris, quam restitutio; non videtur negandum, quin ex motu iustitiæ possit debitor petere à creditore debiti condonationem, ut medium utile ad tollendam iniuriam: quod eodem modo de pœnitentia dicendum est, quæ formaliter intendit non habere Deum rationabiliter iratum, ad quod potest velle satisfactionem, veniæ petitionem, & aliorum etiam preces, & satisfactiones, hæc enim omnia sunt media utilia ad eum finem? Neque obstat pœnitentiam senare resipiscenciam, seu retractionem: quia in primis posset homo ex resipiscencia, & odio peccatorum desiderare satisfactiones alienas, ut utiles ad placandum Deum: deinde non est necesse, virtutem pœnitentiæ habere denominationem pœnitentiæ quoad omnes suos actus, ut infra videbimus.